

fulcet. Ne verò nimium eos quietos ac torpidos reddat, vim ejus *πνεύμα διύτην*; quàm secundum Aristotel. c. l. cum vino ipsi communem esse dicit, facere: quæ turgentes quasi ac alacres efficiat; quis inficias ire velit & istis à morbis liberatis, tale quid contingere posse. Anima verò nostra ad has operationes suas aliasque edendas, cum spiritibus, tum insito, tum influentibus, ut organis proximis, cum primis utatur, uti cum *Senn Horst. l. 3. ep. med. S. 4.* aliq; docent; ex horam læsione ac vitio omnes mentis errores proveniunt. Cur verò ab humore melancholico phantasiæ præ reliquis functiones violentur, *Mercur. d. aff. cap. & part. annex. l. 1. c. 10.* causam reddere conatur. Sed quemlibet suo abundare sensu permittimus libenter. Est itaque delirium melancholicum: Symptomatum principum depravatum, à Spirituum dispositione vitiosa proficiscens.

APHOR. V

Differentiam constituunt paroxysmorum mutationes ac recursus, Locus seu sedes materiæ morbificæ, Causæ, Signa ac Symptomata principalia; quæ omnia ordine indagabimus.

χόλιον.

Deliriorum variæ ab autoribus etsi recensentur differentia, diversis ab Hippocrat. & Gal. nominibus insignita, à variis delirantium conditionibus, circumstantiis, aliisque accidentibus petita; tamen cum *Senn. l. 1. pr. med. part. 2. c. 6. ac instit. l. 2. p. 3. S. 1. c. 7. it. Brünner. consil. 7. de melanchol. hypochondr.* potiores eas & ad curationem maximè facientes ducimus, necessariasque cum primis habemus; quæ sumuntur à loco seu sede materiæ, causâque efficiente ac minerâ morbificâ. Ex quibus satis manifestum fit, ad quod deliriorum genus, nostrum sit referendum, quamq; melancholicorum speciem præferat.

APHOR. VI